C. DIBVADII IN GEOMETRIAM EVCLIDIS

prioribus ſex Elementorum libris comprehenſam

Demonſtratio Numeralis.

AD

CHRISTIANVM FRIIS
Cancelarium Regium.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Typographeîo Chriſtophori Guyotij.
Impenſis Ioannis Ioannidis Bibliopolæ Arnemenſis.
cIↃ. IↃ. c. III.

Amplissimo, Nobilissimo Clarissimoque viro

CHRISTIANO FRIIS

Serenissimi

CHRISTIANI QVARTI

Daniæ, Norvegiæ, &c.


REGIS

Cancelario Magnifico,

BORREBYS TOPARCHÆ:

Almæ Hafniensis Academiæ, Conservatori *summo*,

Domino suo reverenter colendo.



NTER varias & multiplices dotes, quas Deus ille Princeps parens rerum Fabricatorque Mundi, admirabili suâ Providentiâ Homini indidit, quibus nullum sibi charius animal, nullum maiori sibi curæ fuisse, ostendere voluit, *Intellectus* HEROS AMPLISSIME, maximè eminere semper mihi visus est. Hic namque *Cogitationis* vi [quâ sanè continetur, cùm intelligentia quæ absque cogitationis usu subsistat, ne fingi quidem possit] numerosissimam rerum seriem, varietatem, proprietatem, affectus & indolem, percipit; sacrum Naturæ sinum, audacissimo nisu, ingreditur; omniaque intuitu suo lustrat perreptat. Huius subsidio, quæ terrori primis mortalibus Naturæ fuerunt Mysteria, mox admirationem, consumptâ novitate animis eorum induxerunt. Paulatim deinde hoc quod stupemus, ausus ipse diligenter & accurate attendere, in arcana Naturæ, sacrum misit *Ingenium*, & ex assiduis observationibus notisque redeuntibus, latentium *Ratione* collecta, pervenit ad causas. Ita quidem *Cogitationis* vim subtili consilio, admirabilique partium cohærentia, mutuoque inter se consensu, *Rationis* imperio prudenter submisit, eiusque Sapienti impulsu dirigi & contineri voluit. Ratio autem *Ordinis* est non confusionis. Sed in *Ordine* monarchiam tenet *Numerus*. Quare à primo ad ultimum *Intellectus* maxima in *Numeris* efficacia subsistit. *Hominem* itaque, cum sit ζῶον λογικὸν, si se vitamque suam sartam tectam manere, suæque Naturæ præstantiam durare & conservari

Primû dignitatis & præstantiæ Mathematica argumentû, ab intellectu sumptum humano.

cupiat, Ratiocinandi & Numerandi scientiam exercere, tenere, & custodire oportet, quemadmodum pulchre cecinit Epicarmus in fabula quam appellat πολιτείαν.

Ὁ βίος ἀνθρώποις λογισμοῦ κ' ἀριθμοῦ δεῖται πάνυ:
Ζῶμεν δ' ἀριθμῷ καὶ λογισμῷ, ταῦτα γὰρ σώζει βροτούς.

Et Divinus Plato in Epinomide, Εἰ γὰρ ἀριθμὸν ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐξέλοιμεν, οὐκ ἄν ποτέ τι φρόνιμοι γενοίμεθα; sublato ex hominum natura numero, nequaquam fieri posse ait, ut quis prudens euadat. Constat autem naturam omnem salutis incolumitatisque suæ cupidissimam esse, omniaque circumspicere quibus tuta & defensa esse possit, nihilque omittere, ex quo commodum haurire aliquod possit. Artem itaque hanc constitui inprimis oportet, qua sola conservaretur & staret vita Humana. Ars vero Scientiâ nullâ firmata, vel nulla vel futilis est. Quare opus fuit & huic Arti, vitæ illo fundamento est stabilimento scientiæ. Ea causarum demonstrationibus continetur, quæ mirificà consensione & serie communi ordinis & rationis, per linearum descriptiones & figuras tota explicatur & perficitur, easque Græci ΓΡΑΜΜΙΚΑ'Σ ΑΠΟΔΕΙΞΕ'ΙΣ nominant, quarum scientiâ quicquid est certum & notū & immudabile in terris, solà & deprehendi & comprehendi potest. Scientiæ huic nomen GEOMETRIA est. Non illa quidem linearum ductibus figurarumque picturis otiose ludens, sed hoc agens atque efficiens ut mens & intelligentia *humana* reperiat & habeat, quo subsistat & nitatur in hac vita, ne aut opinionum vanitate aut errorum falsitate circumventa concidat, aboleatur, intereat. Τοῦ γὰρ ἀεὶ ὄντος ἡ γεωμετρικὴ γνῶσίς ἐστιν ut sapienter & vere protulit Plato VII. de republica. Hæc enim rerum generabilium vinculis, inconstantisque materiæ nodosa varietate exsoluta, quasique carcere quodam egressa, in substantiam incorpoream & impartibilem Abstrahendo se transformat, eamque animi nostri partem quæ διάνοια dicitur, ita instruit, ut rerum mobilem & polydædalam varietatem certo constantique nexu retinere possit, omniaque sublunaria inquieta & mobilia, admirabili artificio, perpetuitatis, constantiæ & quietis legibus custodit & gubernat. Ita hæc à Fortunæ procellis semota, in sublimi arce Rationis domicilium sibi effingens, nulli se in mundo rei applicari patitur, quam *animo Humano*. Sed humanus animus decerptus est *mente Divina*, cùm alio nullo nisi cum ipso DEO comparari possit. Familiarem itaque *numini* hanc esse scientiam existimandum est. Et sanè si quicquam de ijs quæ sunt supra nos pronunciare audacter oportet; nihil aliud Dij agunt quam *meditantur* & contemplantur. Virtutes siquidem alias, quibus homines censeri volunt immortalibus similes, Deo adsignare longè absurdum est. Versantur enim eæ circa affectiones, & ex pluribus similibus actionibus; & non tam per doctrinam quam ex proba educatione generantur. Divinum autem impatile est: & non per mores bonos aut honestam consuetudinem Dij

Secundum à Deo proprietate.

Assertio Philosophica.

sunt

sunt studiosi. Quin & virtutes habitus esse electivi traduntur. Electionem appetitus consultiuus praecedit. Consulimus autem de ijs quidem quae in nobis sunt, sed quorum tamen est incertus euentus. Deus autem & Deo quae continuè mentes assistunt, cum eas ne quicquam lateat, nec consulere nec eligere possunt, sed Divinae cuidem contemplationi eas, si licet, semper incumbere fas est: Ex quâ nec satiem concipiant nec fatigentur, tùm quia organo corporeo non agunt, quod labascere in opere consuevit, tùm etiam quia perfectissimum intelligibile, non excedentis sensibilis modo corrumpit, sed indies perficiat intellectum: cum nunquam totum ex integro capiatur. Contemplamur itaque non quatenus homines sumus, sed quia Divina quaedam in nobis portio & particula est: ob eamque causam in hoc pulcherrimum mundi rerumque consortium receptos nos, & per succedentium vices, in ordinem mortalitatis natos esse, Plato in Epinomide existimare videtur, ut cōtemplatores admirabilium Dei operum existeremus, cuius haec sunt verba, Ὃν κόσμον ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος, ὁρατόν. ὃν ὁ μὲν εὐδαίμων, πρῶτον μὲν ἐθαύμασεν, ἔπειτα δὲ ἔρωτα ἔσχεν τοῦ καταμαθεῖν ὁπόσα θνητῇ φύσει δυνατά, ἡγούμενος ἄριστα, οὕτως εὐτυχέστατά τε διάξειν τὸν βίον, τελευτήσας τε εἰς τόπους ἥξειν προσήκοντας ἀρετῇ. καὶ μεμυημένος ἀληθῶς τε καὶ ὄντως, μεταλαβὼν φρονήσεως εἷς ὢν μιᾶς, τὸν ἐπίλοιπον χρόνον θεωρὸς τῶν καλλίστων γενόμενος ὅσα κατ' ὄψιν, διατελεῖ. Quibus sane verbis nihil divinius dici potuit. *Quem Mundum (inquit)* ὁ λόγος *(id est Filius Dei) ordinavit, ille quidem omnium est Divinissimus: cuius homo beatus primum admiratione, deinde amore afficitur pernoscendi, quoad eius fieri potest per humani ingenij captum: qui quidem existimet optime sic atque felicissime vitam se traducturum: Et cum mortem obierit, ad locos se venturum virtuti consentaneos & convenientes, cum interim & vere & reapse sacris initiatus, unus ipse demum unius particeps prudentiae, reliquum omne tempus spectator futurus sit & contemplator rerum pulcherrimarū quae sub adspectum cadere possunt, id est corporum caelestium.* Sed scientiarum nullae fortiores meditationes, aut firmiores contemplationes requirant, quam quae de genere sunt Mathematicarum, idque vehementius, quo puriores eae fuerint. Purissimae autem omnium consensu, sunt *Arithmetica & Geometria.* Proxime ergo hae ad Divinam efficaciam accedunt: imo quod mirandum est, in his omnia creavit altissimus, ut mortalium quotquot fuerunt unquam Sapientissimus Solomon fassus est. Socordes ergo & abiectos & degeneres eos homines esse oportet, quos rerum creatarum praestantia & nobilitas nihil afficit, quos ad speculandum & contemplandum non incitat. Vix talia monstra benigna mater natura unquam produxit, nisi forte statuas quasdam effigiem gerentes humanam, erectas ambulare credendum, quae nihil intrinsecus mentis aut animi contineant. Absit quenquam eruditum aut sapientem illarum moveri multitudine. Nonne antea scientias has nulli rei commisceri posse pronunciavimus quam animo humano. Qui ergo

Tertium à creatione.

solummodo effigiem hominū gerunt, non animum; hæc percipere, cognoscere aut intelligere poterunt? Existiment potius ij, qui præter corporis truncum, aliquid in se aliud continent, res creatas dignas esse, quæ mentis nostræ sinu excipiantur, & ad speculandum dirigantur, cum summo & glorioso Deo, eas creare & producere cura fuerit. Sed perfectè eas intelligere, examinare & cognoscere, haud poterimus, nisi eadem accersiverimus nobis initia, quæ in prima earum productione Deus adhibuit. Adhibuit autem *pondus numerum & mensuram*. Arithmeticam itaque & Geometriam & Isoropicam, ante omnia perdidicisse oportet, priusquam rerum contemplationi nos accingamus: Vnde parum, multos in naturalium cognitione proficere, non mirum, cum omnes ferè his destituti præsidijs, plenis faucibus, manus & pedes quod aiunt illoti, in naturæ arcana irruant.

Obiectiones quædam refelluntur.

Et sanè impune eos suo periculo insanire liceret, si animi istum sui venenosum morbum, ad aliorum perniciem non converterent, cùm dignitatis ingressi possessionem alienæ, de hac etiam arte nostra, cuius plane ignari sunt, iudicium sibi esse velint. Hi enim ut philosophiam ferè universam conlatrarunt, & in argutias præcepta eius omnia abegerunt, ita & artem hanc è certitudinis suæ sedibus deijci posse existimantes, argutijs nonnullis eam debellare temerario nisu, & infelici successu aggressi sunt, ut clariorem vim eruditionis quærentes, solis tamen eius splendore territi, sub umbra magni nominis delitescerent.

Obiectio quod pura mathesis non usibus servit humanis.

Quid ergo! Numquid eam ob causam contemni hæc scientia debet, quod nihil adiuvet communi hominum vitæ necessarias utilitates? Nullo certè modo. Ita enim fieret ut cognitionem omnem & contemplationem rerum tanquam inutilem repudiaremus, quippe quæ à rerum humanarum necessaria suppeditatione, sese quam longissimè soleat abducere, ne earum quidem rerum ullam omnino cognitionem aut curam appetens, quibus usus vitæ necessarius cōtineri solet. Homines enim, rerum ad usum vitæ necessarium comparandarum occupationibus vacui planè solutique, sese ad sciendum, scientiæque adeptionem contulerunt: nec immerito; cùm prima cura rerum illarum esse debeat, quibus natura ipsa ad sui educationem & tuitionem carere nullo modo potest. Huic si quando satisfactum erit, hoc est, si naturam ducem consequuti, cupiditatem habendi rerum necessariarū, modo naturàque metiri voluerimus, tum vero illa nos cogitatio debet excipere rerum à necessitate generationeque remotarum, & verum ipsum proximè attingentium; quod cum acciderit, tum quoque id quod in anima nostra incoatum & rude fuerat, integrum absolvetur & perpolitum. Est & *Mathematicæ* scientiæ sua certa propriaque dignitas & utilitas, illa quidem per se æstimanda, neque quicquam externum respiciens, quo se referat, nullius omnino rei ministerio suam utilitatem accommodans, neque vitæ necessitati subserviens. Quin & liberales disciplinæ à libertate dictæ, sui nominis dignitatem sustinere tuerive nullo

modo

modo possent, si ad serviendum usibus necessarijs revocentur. Verissimum itaque est, qui contemptui habendum hoc studium hanc solam ob caussam existimant, eos sine gustu esse summarum quæ quidem in homine libero constantique, existere possunt, voluptatum. Quantum etiam utilitatis ea scientia communi hominum vitæ & societati conferat, cum extremi eius effectus, materialibus se rebus misceant, satis ex ijs quæ coram clementissimo Rege nostro fassi sumus, liquet; & nunc Divinus Hippochratis locus, in studio nostro medico, ut quæ ad principes & rempublicam propriè spectare videntur omittam, hoc ipsum comprobabit. Sic autem scribit in epistola ad Thessalum filium. Ἡ μὲν τῆς γεωμετρίης ἱστορίη ἴσωσ πολύχρηος τε καὶ πολυειδὴς καὶ πᾶν μετ' ἀποδείξιος περαινομένη, ἔστω χρησίμη πρός τε τὰς τῶν ὀστέων θέσιας, καὶ ἐξαρθρήσιας, καὶ τὴν λοιπὴν τῶν μελέων τάξιν. Ἡ δὲ τῆς ἀριθμήσιος τάξις, πρός τε τὰς περιόδους καὶ ἀλλαγὰς τῶν πυρετῶν. καὶ τῆς ἐν νούσοις ἀσφαλείης ἀρχίνου ἔστω. Præter hæc & nostra de humani corporis symmetrica dimensione, & vaporum in eo latione isoropica, quæ meditamur volumina, artis suo tempore in *Medicina* utilitatem & necessitatem ostendent. Quam itaque immensas & varias ex se *Mathesis* ad publicum utilitates effundat, satis quæ attulimus demonstrarunt.

Mechanica Mathesis.

Alia adhuc sed debiliora eos dubia movere non est novum, ad quæ respondere brevitatis me ratio, prohibet. Cùm enim ut ad existentiam res, ita quoque ad cognitionem se habeant, cognitio tantum una erit, cum esse sit unum, quare & veritas quoque una erit. Ab unitate ergo & rei ueritate devios plurimis modis & quasi infinitis errare necesse est. Ex propria itaque ignorantia & erroribus plurimis, artem hanc delere aggrediuntur. Ars itaque non naturâ suâ sed illorum opinione contemptui exponitur, sibi enim de eo iudicij licentiam sumunt, cum iudicandi potentiam non habeant, quòd eo intelligendi & cognoscendi modo plane exuti sint. Sed ponte tandem deiecti muliercularum more, quicquid eis in animo supererat virium, in calumnias converterunt. Mathematicis in sermone barbariem, in fortunæ bonis tenuitatem obijciunt, ignari veritatem nec inquinari Solœcismis, nec ornari Atticismis. Verum est omnes qui contemplationi grauiter incumbunt, corpus & rem ipsam, fortunasque suas minuere & attenuare, cùm ad principum fauorem & popularem auram captandam, minus illis a gravioribus studijs otij supersit. Sed versâ nunc rerum facie, nec elegantiâ sermonis, nec principum & potentum favore carent. Chari sunt Imperatoribus & Regibus, grati Principibus & Nobilibus, accepti Rebuspublicis & Vrbibus. Ita hodie clarissimos viros A. Romanum, C. Clauium, F. Barocium, F. Vietam, G. Vbaldum è Marchionibus, I. Alcalmum, I. Dee, L. Schonerum, L. van Collen, S. Stevinium, Vtrumque Snellium T. Finkium, aliosque complures, Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Dania, Germania, & Belgium, colunt mirantur, suspiciunt. Nisi enim manifesta ab illis ad rempublicam promanare commoda, potentes viri percepissent,

Origo omnis dubij in animo humano.

Calumnia in Mathematicos sparsa, diluitur.

Ordinē alphabeti secuti sumus, ne quis nos hic Criticū agere existimet.

eorum

solummodo effigiem hominũ gerunt, non animum; hæc percipere, cognoscere aut intelligere poterunt? Existiment potius ij, qui præter corporis truncum, aliquid in se aliud continent, res creatas dignas esse, quæ mentis nostræ sinu excipiantur, & ad speculandum dirigantur, cum summo & glorioso Deo, eas creare & producere cura fuerit. Sed perfectè eas intelligere, examinare & cognoscere, haud poterimus, nisi eadem accersiverimus nobis initia, quæ in prima earum productione Deus adhibuit. Adhibuit autem *pondus numerum & mensuram*. Arithmeticam itaque & Geometriam & Isoropicam, ante omnia perdidicisse oportet, priusquam rerum contemplationi nos accingamus: Vnde parum, multos in naturalium cognitione proficere, non mirum, cum omnes ferè his destituti præsidijs, plenis faucibus, manus & pedes quod aiunt illoti, in naturæ arcana irruant.

Obiectiones quædam refelluntur.

Et sanè impune eos suo periculo insanire liceret, si animi istum sui venenosum morbum, ad aliorum perniciem non converterent, cùm dignitatis ingressi possessionem alienæ, de hac etiam arte nostra, cuius plane ignari sunt, iudicium sibi esse velint. Hi enim ut philosophiam ferè universam conlatrarunt, & in argutias præcepta eius omnia abegerunt, ita & artem hanc è certitudinis suæ sedibus deijci posse existimantes, argutijs nonnullis eam debellare temerario nisu, & infelici successu aggressi sunt, ut clariorem vim eruditionis quærentes, solis tamen eius splendore territi, sub umbra magni nominis delitescerent. Quid ergo? Numquid eam ob causam contemni hæc scientia debet, quod nihil adiuvet communi hominum vitæ necessarias utilitates? Nullo certè modo. Ita enim fieret ut cognitionem omnem & contemplationem rerum tanquam inutilem repudiaremus, quippe quæ à rerum humanarum necessària suppeditatione, sese quam longissimè soleat abducere, ne earum quidem rerum ullam omnino cognitionem aut curam appetens, quibus usus vitæ necessarius cõtineri solet. Homines enim, rerum ad usum vitæ necessarium comparandarum occupationibus vacui planè solutique, sese ad sciendum, scientiæque adeptionem contulerunt: nec immerito; cùm prima cura rerum illarum esse debeat, quibus natura ipsa ad sui educationem & tuitionem carere nullo modo potest. Huic si quando satisfactum erit, hoc est, si naturam ducem consequuti, cupiditatem habendi rerum necessariarũ, modo naturáque metiri voluerimus, tum vero illa nos cogitatio debet excipere rerum à necessitate generationeque remotarum, & verum ipsum proximé attingentium; quod cum acciderit, tum quoque id quod in anima nostra incoatum & rude fuerat, integrum absolvetur & perpolitum. Est & *Mathematicæ* scientiæ sua certa propriaque dignitas & utilitas, illa quidem per se æstimanda, neque quicquam externum respiciens, quo se referat, nullius omnino rei ministerio suam utilitatem accommodans, neque vitæ necessitati subserviens. Quin & liberales disciplinæ à libertate dictæ, sui nominis dignitatem sustinere tuerive nullo

Obiectio quod pura mathesis non usibus servit humanis.

modo

modo possent, si ad serviendum usibus necessarijs revocentur. Verissimum itaque est, qui contemptui habendum hoc studium hanc solam ob causam existimant, eos sine gustu esse summarum quæ quidem in homine libero constantique, existere possunt, voluptatum. Quantum etiam utilitatis ea scientia communi hominum vitæ & societati conferat, cum extremi eius effectus, materialibus se rebus misceant, satis ex ijs quæ coram clementissimo Rege nostro fassi sumus, liquet; & nunc Divinus Hippochratis locus, in studio nostro medico, ut quæ ad principes & rempublicam propriè spectare videntur omittam, hoc ipsum comprobabit. Sic autem scribit in epistola ad Thessalum filium. Ἡ μὲν τῆς γεωμετρίης ἱστορίη ἔστω πολύχρημος τε καὶ πολυειδὴς πᾶν πᾶν μεθ' ἀποδείξιων περιγινομένη, ἔσται χρησίμη πρός τε τὰς τῶν ὀστέων θέσεις, καὶ ἐξαρθρήσιας, καὶ τὴν λοιπὴν τῶν μελέων τάξιν. Ἡ δὲ τῆς ἀριθμήσιος τάξις. πρός τε τὰς περιόδους καὶ ἀλλόγενς τῶν πυρετῶν. καὶ τῆς ἐν νούσοις ἀσφαλείης ἀρχίνου ἔσται. Præter hæc & nostra de humani corporis symmetrica dimensione, & vaporum in eo latione isoropica, quæ meditamur volumina, artis suo tempore in *Medicina* utilitatem & necessitatem ostendent. Quam itaque immensas & varias ex se *Mathesis* ad publicum utilitates effundat, satis quæ attulimus demonstrarunt.

Mechanica Mathesis.

Alia adhuc sed debiliora eos dubia movere non est novum, ad quæ respondere brevitatis me ratio, prohibet. Cùm enim ut ad existentiam res, ita quoque ad cognitionem se habeant, cognitio tantum una erit, cum esse sit unum, quare & veritas quoque una erit. Ab unitate ergo & rei ueritate devios plurimis modis & quasi infinitis errare necesse est. Ex propria itaque ignorantia & erroribus plurimis, artem hanc delere aggrediuntur. Ars itaque non naturâ suâ sed illorum opinione contemptui exponitur, sibi enim de eo iudicij licentiam sumunt, cum iudicandi potentiam non habeant, quòd eo intelligendi & cognoscendi modo plane exuti sint. Sed ponte tandem deiecti muliercularum more, quicquid eis in animo superetat virium, in calumnias converterunt. Mathematicis in sermone barbariem, in fortunæ bonis tenuitatem objiciunt, ignari veritatem nec inquinari Solecismis, nec ornari Atticismis. Verum est omnes qui contemplationi grauiter incumbunt, corpus & rem ipsam, fortunasque suas minuere & attenuare, cùm ad principum fauorem & popularem auram captandam, minus illis à gravioribus studijs otij supersit. Sed versâ nunc rerum facie, nec elegantiâ sermonis, nec principum & potentum favore carent. Chari sunt Imperatoribus & Regibus, grati Principibus & Nobilibus, accepti Rebuspublicis & Vrbibus. Ita hodie clarissimos viros A. Romanum, C. Clauium, F. Barocium, F. Vietam, G. Vbaldum è Marchionibus, I. Alealmum, I. Dee, L. Schonerum, L. van Collen, S. Stevinium, Vtrumque Snellium T. Finkium, aliosque complures, Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Dania, Germania, & Belgium, colunt mirantur, suspiciunt. Nisi enim manifesta ab illis ad rempublicam promanare commoda, potentes viri percepissent,

Origo omnis dubij in animo humano.

Calumnia in Mathematicos sparsa, diluitur.

Ordinē alphabeti secuti sumus, ne quis nos hic Criticū agere existimet.

eorum

eorum nunquam fortunis tantum incrementi, aut eruditioni dignitatis adlescissent. Non hodie principes viri ex persuadentium nutu, sed ex variarum rerum cognitione pendent, adaperti ipsis oculi sunt, nudam & nitidam pulcherrimæ veritatis faciem intuentur ipsi, tantumque eloquentiæ permittunt, quantum per se ipsa in se rei & veritatis continet. Fucum hoc æuo facere magnatibus, non est facile. Vnde spes mihi revictura aliquando hoc quoque æuo Archimedæa ingenia, quæ altum illud editumque rerum maximarum fastigium, quod in Mathematica speculatione sepultum iacet, attingent & in lucem proferent, si reprehensione Censoria proteruam hanc & audacem ignarorum petulantiam, Magni & potentes viri, Regio Hieronis exemplo cohereceant. Hic enim cum vehementes & fructuosas reipublicæ, Archimedis imaginationes philosophastrorū nugis sæpius interturbari animadvertisset, Regia auctoritate interposita, talia in posterum fieri, publico diplomate prohibuit: Α'πὸ ταύτης τῆς ἡμέρας. περὶ παντὸς ΑΡΧΗΜΗ'ΔΙ πιστευτέον, neminem ab hoc die Archimedi reluctaturum pronuncians. Sed inculcatas persuasiones immutare longe est difficilimum, cum nemo non didicisse malit quam discere, & qualecumque ingressi iter à teneris, probamus. Sed his tandem modum imponamus, ne minus gratiæ præcipiendo recta, quam offensæ reprehendendo prava mereamur. nihil enim à natura mea alienum magis, quam reprehendendi studium, quare & à calumnia me liberaverit reprehendendi verecundia.

Quartum argumentū ab animalibus. Illud etiam, quod hoc loco non commodè prætervero, multorum animis summam haud dubie admirationem incutiet; Mathematicam scientiam, quibusdam quoque animalibus à summo Creatore infusam esse, ut ex ea ad vitæ traductionem commoda haurirent, non leve necessitatis & utilitatis eius in societate humana indicium. Ita nonnulla reperiuntur animalia, quæ Opticam, nonnulla quæ Isoropicam, nonnulla quæ Geometriam intelligere videntur. *Equus.* Superbum & arrogans animal iubarum pulchritudine Equus, nunquam cum Asina coire vult, nisi turpitudinem suam detonsa iuba ad fontis limpidum speculum recognoscat. *Grues.* Lapillos, secessus tepidos querentes Grues, ore gerunt, quibus proiectis, sentiunt an super terras an super aquam volent. *Apes.* Si leves Apes iniquior aura in divia abripuit, ad dirigendos in destinata cursus modico lapilli pondere librant alas. *Arachnea.* Arachneæ subtilia telarum filamenta in circuli formam, redigunt, & in medijs cassibus excubare consueverunt; quia cum æquales sint quæ à centro ad ambitum usque excurrunt rectæ, in medio consistens pedibus vincta tenens filorum, quæ nevit exordia, undique persentire potest, si quæ in plagas temere bestiola convolarit. *Apes.* Me autem ipsius Apum operis præcipue admiratio subit; non est temerè, nec fortuitam figuram & sedes reponendis cibis quæsiverunt, rudis cera componitur, accedit usibus inenarrabilis decor. Nam primum tenacibus vinculis fundamenta suspendunt, tum ab exordio opus

opus æqualiter crescit, nec quicquam ex incoatis paruum est, quod non sua portione perfectum sit, ut simmetriæ & proportionis rationes obseruare videantur. Quæ autem in mellis receptacula vasa extruunt, æquabilia, similia & inter se cohærentia sunt, specie autem Hexagona, ne intervallum aliquod deformi rima hiaret, idque non absque Geometricâ providentiâ. Figuras enim cohærentes & latera habentia communia, ne aliud quippiam incidens in loca quæ interijciuntur eorum opera labefactaret & corrumperet. cum eligere apibus fuit animus; tres solummodo rectilineæ & ordinatæ figuræ reperiuntur, quæ id quod apibus propositum est efficere possunt. Sola enim Triangula, Quadrata & Hexagona, sibi invicem angulis hærent, & ita mutuo vinciuntur & alligantur, ut locũ qui est circa idem punctum exactè replere possint. Locum enim circa idem punctum, sex æquilatera triangula replent, & sex anguli, quorum unusquisque duarum tertiarum recti est: tum quatuor quadrata, & quatuor ipsius anguli recti: tum tria hexagona & tres hexagoni anguli, quorum unusquisque rectum & recti tertiam continet. Sed pentagona tria minora sunt quam ut circa idem punctum positum spatium replere possint, quatuor vero maiora. Tres siquidem pentagoni anguli, quatuor rectis minores sunt, etenim unusquisque rectum & recti quintam continet, quatuor autem anguli quatuor rectis maiores sunt. At neque heptagona tria circa idem punctum constitui possunt, aptatis inter se lateribus. Tres enim heptagoni anguli, quatuor rectis sunt maiores; quod unusquisque rectum & tres recti septimas contineat. Eadem ratio multo magis procedet in ijs, quæ plures angulos habent. Cum igitur tres figuræ sint, quæ locum circa idem punctum consistentem replere per se possunt, triangulum scilicet, quadratum & hexagonum, apes illam quæ ex pluribus angulis constat, ad structuram sapienter delegerunt, utpote suspicantes illam plus mellis capere posse, quam utramque reliquarum, nimirum æquali materia in constructionem uniuscuiusque cõsumpta, quod & oculis si res ad numerorũ certitudinem examinetur, quasi cernere & intueri licet. Si enim æqualem Trigoni, Quadrati & Hexagoni ordinati ponamus ambitum, qui XXIV pedum sit, Trianguli capacitas XXVII $\frac{7}{10}$ $\frac{128}{000}$ $\frac{129}{000}$ *erit, per secundum lemma huius:* Quadrati vero XXXVI & Hexagoni XLI $\frac{5}{10}$ $\frac{692}{000}$ $\frac{193}{000}$ *ut ex commentario nostro in prop.20. lib.6. elicitur.* Luce ergo clarius est, Trigonum Quadrato, Quadratum Hexagono minus esse. Quis non stupet hæc ab apibus nullâ accedente manuum ope effici, nullâ interveniente doctrinâ, hanc scientiam nasci, quam mortalium nulli, solis exceptis *Mathematicis*, assequuntur.

Satis ut opinor VIR MAGNIFICE, tum ex interno rationis gremio, tum ex brutorum indole, quam nec opinio nec eloquentia quod in humanis accidere solet, corruperunt, conquisitis argumentis necessitatem & integritatem artis demonstravimus, quam tot annorũ millia quibus hæc mundi

moles constitit, approbarunt, tot principum & potentum favores restaurarunt & coluerunt. Multa quidem negligentia & ignorantia bona subducunt mortalibus. Sed Ignorantiam mentis cæcitatem viriliter expugnavimus artis necessitate, & in humanis utilitate ostensâ; artemque ipsam *Euclide* gravissimo auctore præeunte docuimus, illustravimus, novisque Numerorum Fundamentis stabilivimus. NVMERORVM inconcussa est veritas, eorumque ars artium omnium, attestante Platone certissima est, quorum subsidio infinita problemata solvuntur, nova inveniuntur, inventa demonstrantur. Nec solummodo Numeri Rationales, quos etiam ubique ex *Decarithmiæ* legibus adhibuimus, Irrationalium potestate proximâ ad libitum resoluta, *Mathematico* sufficiunt, sed Irrationales quoque in quos Rationales paulatim transformantur, Geometræ sunt necessarij, qui verè Geometrici numeri sunt, si modo Geometrica est propositio XLVII lib. I. auctoris nostri, à qua surdi omnes promanarũt. Eiusmodi itaque Numeros Demonstrationibus nostris inseruimus, tum ut manifestior & certior redderetur veritas, tum ut antiquum priscorum *Mathematicorum* morem reduceremus, quem usitatum olim fuisse, pulchrè his verbis Eutocius Ascalonita in commento ad prop. II. lib. I. Apoll. Pergei ostendit, *Non perturbentur qui in hoc inciderint, quod illud ex Arithmeticis demonstretur, antiqui enim huiusmodi demonstrationibus sæpe uti consueverunt, quæ tamen Mathematicæ potius sunt, quàm Arithmeticæ, propter analogias. adde quod quæsitum Arithmeticum est; nam proportiones, proportionum quantitates & multiplicationes, primo numeris, secundo loco per numeros & magnitudinibus insunt, ex illius sententia, qui ita scripsit,* ταῦτα γὰρ τὰ μαθήματα δοκοῦντι εἶμεν ἀδελφα. Certè si eam affinitatem agnovissent Pentaposi illi Circuli Quadrarij, tam stupendos errores, quibus omnibus risui fuerunt, nunquam commisissent, imo, ut uerbo dicam, *Omnem pseudomathematicis errandi occasionem, sola hac Numerorum ignoratio peperit.* Quam itaque necessaria sit *Euclidi* hæc lux, judicent viri, omni vitæ suæ tempore in his studijs exercitati & subacti, quibus si grave nimis fuerit, tantum subtilissimis suis meditationibus temporis subtrahere, quantum Opellæ nostræ perlectio requireret, tribus clarissimis & doctissimis juvenibus D.M. Iohanni Birkitto, D. Georgio Fuyren, D. Petro Cornelij Houteno, liberam censuram permittimus, ne judicium cuiusquã qui, ut ij, rectè & solide judicare potest, subterfugere videamur. Nec quisquam aliorũ honori qui ante nos in *Euclide* illustrando accupati fuerunt, quicquam decedere hoc novo cõmento existimet, clari enim ij sunt, beneque de omnibus meriti, qui tamen omnia si complexi forent, consuluissent labori meo; sed & eos ut præceptores veneramur & colimus, nec eorum laudi tempus ullum deerit, ad posteros enim virtus durabit, non præveniet invidia: nobis nulla hîc ex alieni nominis ruina, quæsita gloria est, sed *Artis* perfectio & discentiũ utilitas. Ignorantiam CANCELARIÆ MAGNIFICÆ mortalium pe-

[illegible] censet plurimos Buteo.

ctore

ctore eijcere tentavimus, sed Negligentiam quæ torpor quidam est animi, delere, nostrarum non est virium, illa res Regum Principum & Potentum est, quibus magna vis & auctoritas inest ad incitandum, ampla fortunæ ad juvandum. Tibi itaque VIR INCLYTE, cui præter hæc neque ad acumen ingenij doctrinæ cultus, neque ad doctrinā iudicij vis deest, munus hoc rectè cōvenit quod iam aliquot annos honorificè & splendidè in præfectura Almæ Hafniensis Academiæ Exercuisti, cum magno eruditionis veræ incremento & eruditorum omnium solatio & commodo. Sub umbone itaque & tutela tua, cum Universa Regni nostri studia eorumque Professores conquiescant, nullius quā tuo patrocinio me meosque hos conatus melius & tutius committi aut credi posse existimabam, cuius constantem ergo Musas benivolentiam tot annorū in doctos favor demonstravit. Opus itaque hoc qualecunque nostrū, certius erectæ erga te & studia voluntatis nostræ, quam magni in studijs progressus indiciū, in tutelam tuam VIR ILLVSTRISSIME recipere ne graveris, eamque in me meaque studia benivolentiam effundere, quam erga alios antea exercuisti, ita & stimulos ad sublimiora multo labore & industria investiganda mihi indes, & laboris tedium, torpore omni excusso mitigabis. Æternus ille auctor & conditor rerum Deus, magno pietatis & eruditionis commodo, terris nostris diu te saluum cōmodet, cui laus in æternum. Vale. Lugduni Batavorum III Kal. Novemb. Anno salutis 1603.

M. T. Ad

CHRISTOPHORVS DIBVADIVS,
Doctor Medicus & Mathematicus.

IN CL. V.
CHRISTOPHORI DIBVADII
Zelando-Dani
Demonstrationem EVCLIDIS Numeralem.

SCIENTIARVM *nulla in orbe est certior*
Quàm quæ professa nomen est Matheseôs.
Huiusce certitudinem si quis volet
Et Veritatem Scepticus convellere;
A lineis numerisque demonstratio est

*Eutocius Ascalonita in Apollon. Pergæum libri primi Prop. XI.

*(Geminis, ut * ille tradidit, sororibus)*
Petenda, quæ negantibus faciat fidem.
Prioris usu, & linearum ductibus
Sunt qui Mathesis principum problemata
Elucidarunt & probarunt plurimi.
Numeralis at probatio iacuit diu
Neglecta & ignorata multis seculis.
Laus ergo magna DIBVADI *te manet*
Per quem sorori reddita est soror suæ.
Nam quæ Mathesis mutila hactenus fuit,
Numeris modo absoluta per te est omnibus.

B. VVLCANIVS, Græcæ
linguæ Professor.

Lof-schrift, tot den hooch ghelcerden Doctor CHRISTOPHORVM DIBVADIVM, *mijnen besonderen vriendt.*

COMT schept nu vrucht, en leert te recht verstaen,
Die vonden subtijl EVCLIDIS vermaert
V hier ghesteldt, volcomen na den aert
Door tellens const bewijs, diepsinnelijck begaen.
Comt schept nu vrucht, doorwandelt meede wel dees paen,
Die recht ghebouwt sijn, vant onrecht scheyden waert
Ons nae ghelaten van eenich onbewaert,
Wiens dwaling hier bekent, prijst diet u heeft ghedaen
Dees Lof comt u DIBVADI hooch gheleert,
Als ghy ons hier met vrucht seer schoon vereert
Vwes cloeck verstants, dat veel heeft doorsocht:
In *Meet-const* siet men ghy *Archimedis* lof verweckt,
In *Ster-const* niet te min sijn wetenschap niet ontbreckt
Hippocratis bonden-vast seer luitich hebt ontknocht.

T. LVDOLPHVS *van Collen, Professor Mathematum Leyde.*

In D. Medi.

In D. Medicinæ CHRISTOPHORUM DIBUADIUM commentarijs illustrantem libros EUCLIDIS.

CUM virtus, probitas, rerumque peritia abundè
Illos extollant, quorum hæc hæsere medullis,
Quid memorem laudésque tuas, nomenque, decúsque?
O te felicem, DIBUADI! qui pede fausto
Ad metam pleno potuisti tendere cursu,
Nec patriam fugiens, hoste exturbante superbo,
Otia nec temnens studiorum καθαριζων:
Te sequimur, non absque morâ, nunc fataque cernunt
Nobis dura pati, nec adhuc nos respicit illa
Libertas, quo sera, tamen gratissima nobis,
Sed nec sera venit; nec adhuc nos respicit illa;
Quâ, Deus, ut tandem tranquillâ in pace fruamur
Te quæso, ac nostris tandem, pater, annue votis.
Sed quid ego hæc refero? cunctos sua fata manebunt.
EUCLIDIS quædam dias in luminis oras
Venerunt jam clara, sed antè obscura jacebant;
Tu DIBUADI, macte animo, tua vivida virtus
Fac sis EUCLIDEM nobis totum edere pergat:
Exiguus non iste labor, sed nec decus inde
Esse minus poterit, decet hæc graviora capessas.
Naturæ interea sacræ penetralia rimans,
Semina eruns auri longo lentoque calore
Elicienda tibi, doctorum scripta virorum
Ut perhibent, atque illa suo tibi lacte fovenda;
Quæ nactus, cupiens felicem ducere vitam,
VIVE DEO, quantumque potes mortalia sperne:
Optimus ille parens eadem si fortè negârit,
Nec tetricum nactus vultum, rebúsque minutus,
Corpore nec læsus (quæ sunt ludibria vulgi)
VIVE DEO quantumque potes mortalia sperne.

Hæcce tui studio conscripsi, mi DIBUADI;
Id solum placeat, velle placere tibi.


A. G. V.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΟΝ

Cvm posterior hæc operis nostri pars, τῆς ἀκριβείας demonstrationum parte priore in lineis confectarum, tanquam δημιουργία quædam sit; τὸ ἐμβαδὸν τῶν τριγώνων εὑρεῖν, apprime instituto nostro inserviet. Duo ergo *Lemmata* quæ vniversum negotium absolvant præmittemus, & cum alijs domonstrabimus, quorum frequens in sequentibus occurret usus.

Lemma I.

Ex tota basi & dimidio perpendiculo, vel ex demidia basi & toto perpendiculo factum rectangulum, trianguli areæ æquale est.




12. *Primi.* Puncto C, trianguli ABC in basin AB per-
10. *Primi.* pendicularis CD cadans in E puncto æqui-
bisecetur, & per E, recta FG ab extremitati-
11. *Primi.*
31. *Primi.* bus basis emergentes perpendiculares AF,
BG excipiens, basi parallela & æqualis agatur. Dico ita factũ rectangulum AG. trian-
10. *Axiom.* gulo ABC æquale esse. Quia enim CE &
15. *Primi.*
26. *Primi.* GB rectæ ex fabrica æquales sunt, & duo
anguli CEI, *cie* duobus IGB, *gib*, æquales sunt, triangula CEI. GIB inter se æqualia erunt. Ob eandem rationem CEH, AFH triangula, æqualia quoque erunt. Est autem AHIB trapezium triangulo
2. *Axiom.* ABC, & rectangulo AG commune. Rectangulum itaque AG, trian-
10. *Primi.* gulo ABC æquale est.
12. *Primi.* Rursus æquibisecetur AD in K, & DB in M, punctis intersectio-
42. *Primi.* num K & M, rectæ KL, MN perpendiculo CD parallelæ & æquales ducantur, & connenctantur LN. Sunt ergo DL, *dn* rectangula, ADC, *bdc* triangulis æqualia. Sed ADC, BDC triangula composita, totum ABC triangulum constituunt. Rectangulum itaque KN & ABC triangulum inter se æqualia sunt. Est autem CD perpendicularis rectanguli KN altitudo, ex fabrica, latitudo vero KM dimidio basis æqualis; eo quod totæ rectæ AD, DB totam AB componant, quare dimidiæ KD, DM dimidium rectæ AB constituent. Ex dimidio itaque basis & integro perpendiculo factum rectangulum, triangulo æquale est, quod demonstrandum erat.

13. Secun. *In numeris perpendicularis* AD $11\frac{1}{5}$ *erit, cum* AB 15, AC 13 BC 14
47. Primi. *fuerit.* DE *itaque* $5\frac{3}{5}$ *erit. Si* DE *in* AB *ducatur prodibunt* 84 *pro area trianguli* ABC, *& si dimidia* AB $7\frac{1}{2}$ *in* CD $11\frac{1}{5}$ *ducatur, tantundem prodibit pro area trianguli. Tres ergo figuræ,* AG, KN, ABC *inter se æquales sunt.*

Lemma

Collecto dimidiorum dati trianguli laterum, singulis lateribus ablatis, ex residuis & collecto nati producti latus, aream æquat.



Priusquam vero Theorema hoc demõstremus, advertendum, *quadrati latere in aliquẽ numerum bis ducto, productũ æquari eo, quod ex eiusdem lateris quadrati cũ eodem numero multiplicatione oritur. Ut si 2 in 8 bis ducas, perinde erit ac si 4 cũ 8 multiplices.* Triangulo itaque ABC circulus inscribatur, è cuius centro O, in singula trianguli latera, perpendiculares OD, OE, OF, demittantur, quæ æquales erunt, cum eiusdem circuli radij sint. Ab eodem Centro in singulos angulos lineæ OA, OB, OC, cadant. Ex dimidio ergo datorum AB, BC, CA laterum & perpendicularium aliquo ut OF rectangulum factũ, trianguli areæ æquale erit, per lemma præcedens. Sunt autem AF, AD; BD, BE; CE, CF, inter se æquales. Si ergo CA protrahatur in G ita ut AG sit BD æqualis, & CB in H, donec BH fiat AD æqualis, erit CG sive CH dimidio trianguli laterũ æquale. Rectangulum sub CG & OF radio cõprehensum (hoc est area trianguli) inter eorundẽ laterũ quadrata, mediũ est proportionale, eo quod quadratũ de CG in eadẽ altitudine est cum rectangulo, & rectangulum eandem habet altitudinem cũ quadrato radij. Puncto G ad CG perpendicularis GL erigatur, cum CO protracta in L puncto coiens, & altera perpendicularis HL puncto H excitetur, quæ GL æqualis erit [singulæ enim, anguli GCH, dimidiũ subtendunt.] Notetur AG ab A versus B in K, ita ut AK sit AG æqualis, & connectantur LA, LB, LK. Evidens est quadratum de LA, æquale quadratis de AG, GL, quadratũ de LB tantum excedere, quantũ quadratum

4. *Quarti.*
12. *Primi.*
4. *Primi.*
4. *Primi.*
19. *Primi.*
13 *Secundi.*

tum de AK excedit quadratum de BK. Est ergo LK ad AB perpendicularis, & angulus AKL necessariò rectus. Sunt itaque GAK, KLG

Ex 32. Pri. vel ex 31. & 21 Tert. anguli, in AKLG quadrilatero duobus rectis æquales, ut & GAK, CAK anguli. Si communis GAK angulus auferatur, relinquentur GLK, CAK inter se æquales, & dimidius GLA, dimidio CAO angulo æqualis erit. Triangulum itaque FAO triangulo GLA simile erit, & rectangulum sub radio FO & GL comprehensum, æqualo erit FAG rectangulo. Sed quadratum radij ad rectangulum sub GL & radio contentum, est ut ra-

1. Sexti. dius ad GL, hoc est ut CF ad CG. Erit itaque CF ad CG ut qua-

4. Sexti. dratum radij, ad rectangulum sub radio & GL contentum, quod FAG

11. Quint. rectangulo æquale est. Sunt ergo quatuor magnitudines proportionales, ut CF, ad CG, ita quadratum radij, ad FAG rectangulum. Si itaque quadratum radij FO cum CG multiplices, tantundem orietur, ac si re-

16. Sexti. ctangulum FAG cum CF recta multiplicares. [quod est tres inter se differentias seu residua, multiplicare. Nam cum CG laterum dimidio & AD, *db* rectis AF, *ag* æquentur, FC differentia erit rectarum CG, AB; sunt & CE, *eo* rectis CF, *ag* æquales: AF itaque rectarum CG, CB differentia est, & rectarum CG, CA differentia est AG.] Et si à quadrato radij & CG recta quod fit denuo per CG multiplices, tantundem emerget ac si rectæ CG & radij quadrata inter se multiplica-

17. Sexti. res; Producti huius latus, medium inter rectarum CG, FO, quadrata, proportionale erit, & per consequens trianguli ABC areæ æquale, quæ antea inter eadem quadrata, media proportionalis est ostensa. Collecto itaque, &c.

Lemm. 1. *Latera trianguli* ABC *sint ut superius, eorum ergo summa erit* 42, *à cuius dimidio* 21 *singulis lateribus ablatis, relinquuntur* 8, 7, 6, *quæ facta continue prodibũt* 336, *quẽ numerũ si per dimidiũ laterũ* 21 *multiplices, surget numerus* 7056 *cuius latus* 84 *quæsita trianguli* ABC *area est: tantum etiam superius, pro area invenimus, in lemmate primo, illud itaque huius quasi* [illegible] *est, & hoc illius.*


ERRATA.

Fol. 7. parag. 17. pro [illegible] lege [illegible]. f. 9. p. 20. pro 1779 l. 1776. p. 23. l. æquale. p. 24 l. [illegible] p. 25. l. Triangulũ. f. 10. p. 21. pro FF. l. FE. f. 14. p. 17. l. Additio. f. 16. p. 8 l. radix. p. 14. l. Hæc. p. 18. l. Algebra. f. 19. p. 4. l. numerorum. f. 20. p. 17. pro 19. l. 16. pro CF. l. CE f. 23. p. 23. l. triangulum. f. 29. p. 5. pro 32. l. 48. p. 13. pro [illegible] l. [illegible]. f. 30. p. 4. l. retenta. f. 32. p. 17. pro √. 8 [illegible] - √ 3 [illegible] l. √. 2 [illegible] - √ 3 [illegible]. f. 38. p. 15 proportio quæ ponitur, intelligenda cum diameter. 1. ponitur: vel si retineãtur partes diametri 100000, delendus est denominator 1000000: idẽ de f. 49. p. 16. 17. intelligendũ f. 42. p. 13. l. Quadrata. f. 49. p penult. A & D l. A & E. f. 56. prop. XXII. in diagram. pro E. 1. l. F. 1. f. 62. prop. XIII. in diagr. pro H l. A pro G. l. C. Cœtera vix alicuiꝰ mométi, lector benignus emendabit.

EVCLIDIS

EVCLIDIS ELEMENTORVM PRIMVS.


Prop. V.



Crura BC, BD quodlibet 6. basis CD 4. dantur. Anguli ergo repeñuntur B. 38. Grad. 56. Min. BCD 70. Grad. 32. Min. æqualis BDC: Et ECD 109. Grad. 28. Min.

per 3. tri-gon. pitisc. 15. prim.


Prop. VI.



Ad C sive D angulus 70. Grad. 32. Min. CD 8. dantur. Crus quodlibet 12. erit.


3. Trigon. Pitisci.

Prop. XVI.




Datur triangulum BCD æquilaterum, & latus 8. Ergo & anguli, quilibet 60. Grad. BDG itaque 120. utrolibet interno maior est.

Prop. XVII.




Dantur latera BC 21. CD 20. DB. 13. Ergo & anguli, D 75. Grad. 45. Min. DBC 67. Gr. 23. Min. C 36. Gr. 52. Min. Sed duo recti sunt 180. Gr. quos nec CB 104. Grad. 15. Min. nec CD 112. Grad. 37. Min. nec BD 143. Grad. 8. Min. compositi æquant. Vera ergo propositio est.

Prop. XVIII.




Dantur BD. 21. BC. 20. CD. 13. Ergo & anguli. Cum itaque C 75. Grad. 45. Min. maximus sit, maius ergo & latus BD subtendit: Sic D 67. Grad. 23. Min. cum minor, minus BC: & B 36. Grad. 25. Min. cum minimus, latus minimum CD, quod etiam voluit propositio.

Prop. XIX.



Si darentur soli anguli ut B 36 Grad. 25. Min. C. 75. Grad. 45. Min. D. 67. Gr. 23. Min. Via contraria inuenirentur latera, semper maiora angulis maioribus opposita, minoribus minora, minima minimis.

Prop. XXI.




Per 47. primi.

3. Trigon. Pitisci.


